

Sed posse alii, et quidem rectius, sentiunt « quum (ut ait Romaguer. *ad Synodal. Gerunden.* lib. 2. tit. 1. c. 1. num. 11.) textualiter in ea solum legatur admonitio facta Episcopis, ut se abstineant publicare novas festivitates ultra in dicta Constitutione præscriptas, non autem clausula aliqua facultatem eis de jure competentem abdicans. » Confer. etiam Gonzal. in cap. final. num. 17 *De feriis.*

Debet vero Episcopus dies festos indicare, cum consensu Cleri. An item adhibere debeat consensum Populi, controversia est. Adhibere utique debere de jure, vigore mox dicti cap. final. *de Feriis*, nequaquam vero de consuetudine, quæ jus in hac parte abrogavit, tenent Romaguer. ubi supra num. 12. Fagnan. in cit. cap. final. num. 31. et sequent. *de Feriis.* Zypæus in *nov. Jur. pontific.* tit. *de Feriis*, n. 3. Cortiad. dict. decis. 171. num. 16.

Hinc autem patet quid sentiendum sit de propositione illa generali ab Auctore n. 10. his verbis firmata: « Festa de præcepto servanda institui non possunt invito Populo. » Si enim intellexit Auctor de diebus festis indictis a Summo Pontifice, manifesto erravit, quum Summus Pontifex adhibere haud teneatur consensum Populi. Sin autem de diebus festis intellexit ab Episcopo indictis, improbari nequit, quum sint et hodie qui sentiant, teneri Episcopum adhibere consensum Populi.

Tametsi autem Potestas sæcularis indicare haud valeat dies festos, potest tamen dies festos a Summo Pontifice, vel Episcopo indictos munire adjectione pœnas; Fagnan. in cap. *Conquestus* n. 72. *de Feriis.* Pignatell. consult. *Canon.* tom. 1. consult. 8. num. 2. Bellet. *disquisit. Cleric.* tit. *de fav. Cler. real.* § 5, num. 101. Barbos. *de offic. et potestat. Episcop.* allegat. 105. num. 42.

(142. Quod concernit secundum, duo observantia festorum importat præcepta: al-

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Feudum quoad ea quæ concernunt ejus Originem, Naturam et Divisionem.*

1. Feudum, unde originem habeat et trahat controversatur inter Doctores. — 2. Probabilius originem trahit a Longobardis. — 3. Feudi nomen derivatur a fide, seu fidelitate. — 4. Feudum definitur. — 5. Exponuntur singulæ particulæ definitionis, usque ad n. 9. — 10. Feudum dividitur primo in Feudum proprium, et improprium, et quid sit utrumque. — 11. In dubio omne Feudum præsumitur proprium. — 12. Secundo, dividitur Feudum in Regale, et non Regale, et quid sit. — 13. Tertio, dividitur Feudum in Nobile, et Ignobile, et quid sit utrumque. — 14. Quarto, dividitur Feudum in Ligium, et non Ligium, et quid sit Feudum Ligium, et unde derivatur nomen *Ligium*. — 15. Non potest quis a duobus Dominis distinctis, seu Regibus Feuda Ligia accipere. — 16. Feuda Ligia non nisi a Supremis Principibus Superiorem non agnoscentibus dari possunt. — 17. Feudum non Ligium quid sit. — 18. Quinto, dividitur Feudum in Ecclesiasticum, et Sæculare, seu Laicale, et quid sit utrumque. — 19. Episcopi, et alii Clerici habentes Feudum Sæculare, seu Laicale in causa Feudali subjiuntur Domino Sæculari. — 20. Sexto, dividitur Feudum in

terum *affirmativum* audiendi Missam, *negativum* alterum cessandi ab operibus servilibus. Plures circa utrumque hoc præceptum occurrunt quæstiones. De piscatione præsertim disputatur, an ea veniat sub præcepto negativo? Vide, si lubet, Romaguer. *ad Synodal. Gerund.* lib. 2. tit. 1. cap. 5. per tot.

(143. Quoad tertium, solius superioris Ecclesiastici est dispensare super observatione dierum festorum. Potestati sæculari minime est jus hoc; Pignatell. *Consult. Canon.* tom. 1. consult. 8. num. 3. Pilaja *Decis. Canon.* lib. 1. decis. 7. num. 98. An autem dicta dispensatio gratis, et quibus in casibus concedi debeat, tradunt Capon. discept. 211. et Rursus discept. 212. utrobique fere per tot. Barbos. *de Paroch.* cap. 16. per tot.

(144. Restat, ut de quarto et ultimo dissertatur. Porro separandi sunt ii, qui ratione personæ subjecti sunt Episcopo: nam hos punire non potest nisi ipse Episcopus ob violationem dierum festorum. Quoad vero cæteros, locum esse præventioni inter Judicem Ecclesiasticum aut sæcularem post Constitutionem Sancti Pii V. tenent Capon. discept. 208. num. 27. Tondut. *de Præcept.* part. 2. cap. 29. num. 38. et seq. Nicol. *Lucubrat. Canon.* lib. 2. tit. 9. num. 6. Romaguer. *ad Synod. Gerund.* lib. 2. tit. 1. cap. 1. n. 21. qui num. 22. subdit: « Non tamen si ab Episcopo, aut alio ad quem spectat, verbo, aut scriptis sit data licentia laborandi in talibus diebus, nam tali casu non possunt Potestates sæculares eos punire, etiam si non exhibeantur tales licentiæ. »

Verum si violatio versetur circa præceptum non *negativum*, sed *affirmativum*, congruentius videtur, ut procedat unus Judex Ecclesiasticus, non item Judex sæcularis; Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprudentia Canonica*, verb. *Festi dies*, num. 7.

FEUDUM.

Novum, et antiquum, et quid sit utrumque. — 21. Septimo, dividitur Feudum in Hæreditarium, et in Feudum Familiæ, seu ex pacto, et providentia, et quid sit utrumque. — 22. Octavo, dividitur Feudum in Masculinum, et femineum, et quid sit utrumque. — 23. Alii dicunt etiam illud Feudum esse femineum, in quo ex speciali Investitura femina succedere possunt, etsi primitus collatum sit Masculo. — 24. In utroque tali Feudo femineo femina nequeunt succedere, nisi Masculis deficientibus. — 25. Nono, dividitur Feudum in Francum, et non Francum, et quid sit utrumque. — 26. Decimo dividitur Feudum in Reale, et Personale, et quid sit utrumque. — 27. Feudum Personale aliud dicitur de *Camera*, et quid sit. — 28. Aliud dicitur de *Cavena*, et quid sit. — 29. *Cavena* quid sit. — 30. Aliud est *Guardiæ*, et quid sit. — 31. Aliud est *Gastaldiæ*, et quid sit. — 32. Aliud est *Soldatiæ*, et quid sit. — 33. Cuncta dicta Feuda Personalia dicuntur tantum improprie Feuda. — 34. 35. Quid sit Feudum Ecclesiasticum in sensu stricto. — 36. De ejus origine et occasionibus. — 37. 39. An in dubio proprium vel improprium censi debeat. — 40. An subsit juri communi feudali.

ARTICULUS II. — *Quoad ea quæ concernunt illos, qui dare, accipere et succedere possunt in Feudum.*

1. In Feudum dare possunt omnes, et soli rerum

suarum administrationem habentes. — 2. Etiam Plebei, et Femina dare possunt in Feudum bona sua allodialia. — 3. Episcopi, Abbates, ac cæteri Prælati, et Superiores Ecclesiastici, adhibitis requisitis Juris solemnitatibus, possunt in novum Feudum concedere bona Ecclesiæ. — 4. Imo Ecclesiarum Prælati possunt etiam sine Juris solemnitatibus in Feudum concedere bona Ecclesiastica ab antiquo in Feudum dari solita. — 5. Etiam minor potest Antiquum Feudum concedere, licet non possit Novum. — 6. Papa noviter assumptus in Summo Pontificem debet promittere, et jurare de non infeudandis Civitatibus, Oppidis, et locis S. R. E., et post Coronationem debet suis litteris confirmare. — 7. Hujusmodi infeudationes consulentes, easque Summo Pontifici per se, vel alium insinuantes, vel suadentes Excommunicationis pœnam, confiscationis honorum, et privationis Dignitatum ac Beneficiorum eo ipso incurrunt. — 8. Cardinales in assumptione pilei, et Sede Vacante in Conclavi jurare debent Constitutionem S. Pii observare, eique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus consentire, nec absolutionem a juramento petere, nec oblatam, aut concessam acceptare. — 9. Civitates, Oppida, Loca Romanæ Ecclesiæ etiam infeudari, seu alienari solita ad Sedem Apostolicam quomodolibet devoluta, et pro tempore devolvenda, eo ipso Camera Apostolicæ absque alia declaratione incorporata censentur. — 10. Et etiam antequam devolvantur, non obstante declaratione contraria Gregorii XIV. prout ex post statuit Innocentius XI. — 11. Dictam Bullam S. Pii V. declarationem ab Innocentio IX. confirmavit, et innovavit sequæ servaturum promisit, ac juravit Clemens VIII. et declarationem Gregorii XIV. revocavit, et annullavit, quod et fecerunt alii Pontifices successores, ut patet ex Regula 64 Cancellariæ. — 12. Stantibus supradictis, clarum est hodie Papæ non licere quemquam investire de Feudo non aperto. — 13. Feudum accipere potest quilibet, qui nominatim non reperitur prohibitus. — 14. Feudum accipere potest Femina. — 15. Etiam Minorennis et Pupillus. — 16. Etiam Superior potest accipere Feudum ab inferiore. — 17. Etiam Clerici Feuda accipere possunt. — 18. Succedunt in Feudis primo loco descendentes Filii, et Nepotes. — 19. Filii succedunt in capita equaliter, et Nepotes in stirpes. — 20. Filii æqualiter succedunt, quamvis sint ex diverso Matrimonio. — 21. In Feudis individuis solus Primogenitus succedit, cujus filius tamquam nepos Patris præfertur secundo genito. — 22. Filii adoptivi non succedunt in Feudis. — 23. Nec succedunt filii illegitimi, quamvis legitimi, nisi forsitan per subsequens Matrimonium legitimentur. — 24. Immo succedere possunt etiam legitimi per rescriptum Principis, si Princeps specialiter ad similem successionem eos legitimat. — 25. Quintimo filii quoque etiam juste ex hæredati, in Feudo succedunt, nisi Feudum dependeat ab hæreditate. — 26. Ascendentes regulariter in Feudo non succedunt. — 27. Dantur varii casus, in quibus ascendentes succedunt. — 28. Deficientibus descendentibus, regulariter succedant Collaterales Agnati, tam consanguinei quam Germani, non item Cognati. — 29. Deficientibus descendentibus, et fratribus, succedunt nepotes ex fratribus in capita, non in stirpem. — 30. Deficientibus etiam nepotibus ex fratre, succedunt agnati illi, qui ex linea Defuncti Vassalli descendunt, quamvis adsint alii proximiores primo acquirenti ex alia linea venientes. — 31. Tam descendentes, quam agnati collaterales succedunt in infinitum. — 32. Quæ hæcenus de successione Collateralium dicta sunt, intelligi debent de solis Feudis antiquis. — 33. Clerici, et Religiosi in Feudis propriis servitium personale inconveniens statui indispensabiliter requirentibus succedere non possunt, imò prius habita dimittere debent. — 34. Clerici, et Religiosi succedere possunt in Feudis propriis, si sint annexa Dignitati Ecclesiasticæ, aut in vi Inves-

tituræ, statuti, vel consuetudinis id eis comperat. — 35. Clerici et Religiosi succedere possunt in Feudis Francis, hæreditariis, femineis et in aliis impropriis. — 36. In pædictis Feudis succedit etiam Monasterium bonorum capax loco sui Religiosi professi. — 37. Solummodo tamen quandiu talis Religiosus vivit, quo mortuo, transit ad alios agnatos proximios, vel agnatis deficientibus, ad Dominum. — 38. Nisi sit Feudum perfecte hæreditarium, in quo non minus Monasterium, ac alii hæredes perpetuo succedere possunt. — 39. In Feudis Regalibus Monasterium loco professi non succedit. — 40. Succedit tamen in Oppidis et Castris Jurisdictionem habentibus. — 41. Femina et descendentes ab eis etiam masculi regulariter in Feudis non succedunt. — 42. Succedunt tamen in Feudis Femineis, vel ubi vi specialis pacti etiam feminis succedere licet. — 43. Dummodo tamen nullus masculus exstet. — 44. Femina in Feudo investita non repellitur a masculo postea nato. — 45. Nisi tamen hic masculus tempore Investituræ jam fuerit in utero Matris. — 46. Olim nulla debetur in Feudis successio; at postea fuit moribus et legibus introducta, et successive magis extensa. — 47. De Feudorum Ecclesiasticorum Constitutione, *Remissive*. — 48 ad 49. De infeudatione ex allodialibus laicorum rebus.

ARTICULUS III. — *Feudum quoad ea quæ concernunt modos, quibus acquiritur, causas, ob quas amittitur, et Jura, ac obligationes, quas ratione ipsius habent tam Dominus, quam Vassallus.*

1. Quibus potissimum modis Feudum acquiri potest. — 2. Per pactum quid intelligatur. — 3. Investitura quid sit. — 4. Investitura alia propria, alia impropria. — 5. Investituræ necessitas. — 6. Sufficit impropria. — 7. Investitura potest per alium, tam dari, quam accipi. — 8. Feudum acquiritur etiam præscriptione triginta annorum. — 9. Ad sic autem præscribendum contra Ecclesiam, vel alia loca pia requiritur spatium quadraginta annorum. — 10. Ad hanc præscriptionem requiritur bona fides. — 11. Sufficit bona fides, etiamsi sit sine titulo. — 12. Dominus directus contra Vassallum præscribere potest, ut propria, et Allodialis res Vassalli evadat Feudalis. — 13. Ita etiam Vassallus contra Dominum directum præscribere potest, ut ex re Feudali fiat allodialis Vassalli. — 14. Feudum acquiritur etiam successione. *Remissive*. — 15. Feudum, ob quam præsertim causas, amitti ac finiri potest, scilicet primo ob malam alienationem, secundo ob non petitam investituram, tertio ob rem refutatam feudalem, quarto ob commissam feloniam. — 16. Primo Vassallus Feudum amittit, si illud absque Domini consensu alienet in casibus, in quibus consensus requiritur. — 17. Secundo amittitur Feudum, si contingente mutatione, sive ex parte Domini, sive ex Parte Vassalli ob mortem, vel alium casum, intra annum et diem de novo non petitur Investitura. — 18. Ut ob neglectam Investituræ renovationem Feudum amittatur, necesse est, quod dolose, vel culpabiliter negligatur. — 19. Hæc renovatio investituræ non est in usu in statu Mediolani. — 20. Tertio amittitur Feudum per refutationem, seu renunciationem, seu resignationem. — 21. Feudum etiam absque consensu Domini licite, et valide resignari potest in proxime successurum. — 22. Extraneo nequit absque consensu Domini renunciari. — 23. Resignatio, seu Refutatio Feudi antiqui cum consensu Domini facta Extraneo, seu etiam ipsi Domino tenet solum quandiu talis Vassallus resignans vivit; eo autem mortuo, redit ad proximios agnatos æque ac si non resignasset. — 24. Quarto amittitur Feudum ob commissam, et quid sit feloniam. — 25. Ad quos autem revertatur, an ad Dominum, vel Agnatos Vassalli Feudum amissum ob aliquam ex supradictis causis. *Remissive*. — 26. Assignatur jus competens Domino directo Feudi. — 27. Assignantur obligationes Domini di-

recti erga Vassallum. — 28. Assignatur jus competens Vassallo. — 29. Assignantur obligationes Vassalli erga Dominum directum. — 30. Obligatur Vassallus, ut contingente mutatione sive ex parte sui, sive ex parte Domini petat renovationem investituræ, et Domino Fidelitatem juret. — 31. Vassallus sine consensu Domini potest alienare Feuda hæreditaria concessa sibi pro suis hæredibus, et quibuscumque dederit. — 32. Item potest Vassallus sine consensu Domini alienare Feudum proximiorum agnato immediate in Feudum successorum. — 33. Item potest Vassallus etiam absque consensu Domini Feudum alteri in Feudum dare, dummodo subinfeudandus sit ejusdem conditionis cum Vassallo principali. — 34. Item sine consensu Domini potest Vassallus Feudum ad modicum tempus locare, dummodo locatio non sit fraudulenta alienatio. — 35. Non potest tamen Vassallus sine consensu Domini Feudum donare. — 36. Nec hypothecare. — 37. Nec permutare. — 38. Nec testamento relinquere, aut legare. — 39. Nec in solutum, nec in dotem dare. — 40. Posset tamen Feudum in dotem dari sine consensu Domini, ubi particularis lex, vel

ARTICULUS I.

Feudum quoad ea quæ concernunt ejus originem, naturam et divisionem.

(1. Unde originem trahat Feudum, controversitur inter Doctores. Aliqui enim cum Zasio in l. 2. verb. *Curias*, ff. de *Origine Juris*, et Cujac. in *Commen. ad l. Feud.* in princ. volunt Feuda originem habere ex antiquo Romanorum Jure. Alii cum Luca de Penna in l. *Quicumque*, C. de *omni Agro deserto*. l. 11. sustinent Feuda cœpisse tempore Justiniani. Alii dicunt, Feuda a Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, et alias Europæ Provincias venisse, ut potest videri apud Fachin. lib. 7. cap. 1. (2. Communior tamen ac probabilior tenet Feuda originem habere, ac primitus concessa fuisse a Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, quorum Feudorum consuetudines Obertus de Orto et Gerardus reduxerunt ad eorum legum Feudalium formam, quam habemus, ut testatur Card. de Luca lib. 1. de *Feudis* disc. 2. num. 5. Fachin. lib. 7. cap. 1. Harprecht. in *annotat. ad Jul. Clar.* in § *Feudum* q. 1. num. 11. Engel. lib. 3. *Decret.* tit. 20. num. 1. Reiffenstuel *ibidem* num. 3. et complures alii. Et ratio est, quia in libris Feudorum sæpius fit mentio Longobardorum, et legum Longobardicarum; ut in lib. 2. tit. 1. de *Feudi cognitione*. Item lib. 2. tit. 8. de *Investitura*, rursus lib. 2. tit. 58. de *Notit. Feud.* et sæpe alibi. Tum quia multa vocabula Feudalia arguunt linguam Longo-

(1) De Feudorum origine, nomine, et diversis speciebus vide magistralem dissertationem 2, apud Ludovic. Anton. Murat. *Antiquit. Medii ævi*. Ubi quamplura afferens authentica documenta multos submovet errores, et in fine addit tractatum de Feudis usque tunc ineditum et Dissert. in Veneta edit. præmis. comment. Cujac. in 5 lib. Feudorum tom. 2, pag. 1033, et seq. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Magis propriam, et ad feudorum naturam explicandam accommodatam ex Cujacio habemus definitionem comment. in lib. 5. *Feud.* in princ. pag. 1067, circa med. « Jus prædio alieno in perpetuum utendi, fruendi, quod pro beneficio Dominus dat ea lege, ut qui accepit sibi fidem, et Militiæ munus,

consuetudo id concederet. — 41. Item in dotem dari potest sine consensu Domini, ubi mulier, pro cujus dote Feudum datur, esset dotanda in Feudo proxime successorum. — 42. Item sine consensu Domini Mulier Feudataria potest sibi ipsi in dotem Feudum dare, dummodo det inastimatum. — 43. In Regno Neapolitano mulier nequit id facere sine consensu. — 44. Vassallus sine consensu Domini nequit Feudum vendere, nec alio quocumque contractu, quo jus reale transfertur, alienare. — 45. Feudum novum potest Vassallus cum consensu Domini quocumque contractu alienare. — 46. Non item antiquum, accedat etiam consensus agnatorum. — 47. Feudum antiquum male alienatum, si proximus agnatus suo tempore non revocat, possunt illud, eo mortuo, agnati remotiores revocare. — 48. Agnatis competit jus retractus Feudi absque eorum consensu alienati. — 49. Licetum est alienare Feudum ad ratificationem Domini, seu sub clausula et conditione: si Dominus consenserit. — 50. 55. De successione in Feuda Ecclesiastica. — 56. De Felonia in his Feudis commissis. — 57. De ejus remissione. — 58. De Feudo Ecclesiastico in sensu lato. *Remissive.*

bardorum, velut Morgenatica, Marchia, Marchio et Fachin. lib. 7. *Controv.* cap. 1. Harprecht loc. cit. Engel. loc. cit. et alii. (1) (3. Feudi nomen derivatur a Fide seu Fidelitate, lib. 2. *Feud. tit. 3. Per quos fiat Investitura*, ibi: « Cum a Fidelitate Feudum dicitur, vel a Fide. » Natura enim Feudi proprie est obligare Feudatarium, ut specialem exhibeat fidelitatem erga Dominum suum directum, cujus est Vassallus, cit. lib. 2. *Feud. tit. 3. Per quos fiat Investitura*, ubi sic dicitur: « Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat; » Sic Rosental c. 1. de *Feud.* conclus. 7. lib. 1. Engel lib. 3. *Decretal.* tit. 29. num. 2. et alii communiter.

(4. Feudum proprie dictum est res immobilis alicui, quoad dominium utile, liberaliter, et perpetuo concessa sub onere fidelitatis, et obsequii personalis præstandi. Est in re communis, et habetur clare ex § fin. l. 2. *Feud.* cap. 33, ubi ita describitur: « Est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietatem quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat, ususfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum heredesque suos Masculos, sive Feminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat ad hoc ut ille, et sui heredes fideliter Domino serviant (2). » (5. Dicitur primo *res immobilis*, ut denotetur, quod res mobilis Feudum esse nequit, arg. cit. § fin. lib. 2. *Feud.* cap. 23. ibi: « Rei immobilis. » Nominem autem Rei immobilis non tantum veniunt res corpora-

aliudque servitium exhibeat; » vel ex Hotomano disput. de *Feudis*, cap. 4: « Feudum est clientela militaris ea lege contracta, ut Clientis pro beneficio accepto militarem operam præbeat, vicissimque Patronus suam illi fidem, benevolentiamque præbet: » cui definitioni si id addas, quod fere ab omnibus omitti solet: firmissimam adeo hanc militarem clientelam esse, ut nisi certis de causis certaque forma exigendis dissolvatur; Rursus beneficium intelligendum illud jus traditum re aliena perpetuo utendi, fruendi, et demum feudatarium præcipuas notas complexum esse, quibus ab alio quocumque contractu, nexuque civili Feudum distinguas, perfectam feudorum habebis definitionem. (EDIT. BARBIELL.)

rales, et solo cohærentes, ut Castra, et prædia, sed etiam Jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, ut Jura piscandi, vendandi, jurisdictionem exercendi, vectigalia accipiendi, et similia; arg. l. et § fin. Cod. de *Præscript. longi temp.* juncta Clem. 1. de *rebus Eccl. alien. vel non.* Sic etiam census, et redditus annui, Clement. *Exivi*, § *Cumque annui de V. S.* ibi: « Cumque redditus annui inter immobilia censeantur a Jure. » (6. Dicitur secundo *Quoad Dominium utile*, ut denotetur, Dominium directum, seu proprietatem remanere penes Dominum, qui Feudum concedit, arg. cit. § fin. lib. 2. *Feud.* cap. 23. ibi: « Ut proprietatem quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat. » (7. Dicitur tertio *Liberaliter*, ut denotetur, Feudum proprie dictum esse « beneficium ex benevolentia; » ut dicitur in cit. § fin. l. 2. *Feud.* cap. 23. per quod differt ab Emphyteusi, in qua Domino directo ab Emphyteuta præstari debet canon annuus. Unde, si etiam in Feudo annua pensio constituatur; prout interdum fieri solet; tunc non est Feudum proprium, sed solum improprium. Non est tamen de substantia Feudi, ut mere gratuito fiat, nam etiam Feudo emi posse constat ex c. unico, de *Natura Feudi* et c. unic. de *Beneficio fratris*. Dummodo minori pretio ematur, ut adhuc speciem Beneficii retineat. (8. Dicitur quarto *Perpetuo*, ut denotetur, quod Feuda proprie dicta non præcise ad certum tempus, vel generationem, uti aliquæ Emphyteuses, sed perpetuo conceduntur, ita ut ad Feudatarium, et ejus heredes in perpetuum pertineant, ut expresse habetur in cit. § fin. l. 3. *Feud.* cap. 23. (9. Dicitur quinto « sub onere fidelitatis, et obsequii personalis præstandi, » ut denotetur, quod principale onus, et obligatio Feudatarii est, ut Domino directo, a quo tantum beneficium accepit, et sit fidelis, et nunquam aliquid contra eum machinetur, sed potius consilio et auxilio adjuvet, præsertim euntem ad bellum personaliter sequatur, vel alium sui loco Domino acceptabilem mittat, vel dimidium redditus Feudi unius anni Domino subministret pro belli expensis; l. 2. c. 55. § 1. de *Prohibita Feudi alienatione*.

(10. Feudum dividitur primo in Feudum proprium et improprium. Feudum proprium est illud, quod in omnibus veram naturam Feudi retinet, juxta descriptionem, et explicationem supra datam, et simpliciter, et pure conceditur nulla temporis aut servitiorum facta determinatione, § penult. et ult. C. *Quid sit Investitura: et de concess. recti Feudi*. Item cap. 1. *Quibus modis Feud. const. potest.* Calvin. *Lexico Jurid.* verb. *Feud.* Feudum improprium est illud, in quo per pacta specialia, seu per investituram specialem a propria natura Feudorum recessum est. Feudum enim improprium censetur, quod conditionibus, vel obsequiis nominatim definitis est alligatum; c. 1. de *not. Feud.* et § fin. de *cap. cur. vendi*; Calvin. loc. cit. (11. In dubio autem omne Feudum

præsumitur rectum, et proprium, et si forsitan in uno degeneret, in reliquis tamen adhuc propriam naturam retinet; c. unico, de *Feudo non habente propriam naturam*, Engel. loc. c. sub num. 6. (12. Secundo, dividitur Feudum in Regale et non Regale. Feudum Regale est, quod ab Imperatore, vel a Rege conceditur cum annexa Regali Dignitate, id est cum Jure Regalium: hujusmodi Feuda sunt Regnum, Electoratus, Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus, et cætera id genus honoris beneficia, arg. l. 1. tit. 14. de *Feud.* cap. 1. *Quis dicatur Dux*; Calv. l. c. Vultejus de *Feudis* cap. 8. num. 10. et alii passim. Non Regale est, quod Personam accipientis quidem nobilitat, absque tamen Jure Regalium; arg. cit. num. 1. tit. 14. *Feud.* c. unic. *Qui Feudare possunt*; Calv. loc. cit. Vultejus loc. cit. Engel. l. c. num. 10. Reiffenstuel lib. 3. decr. tit. 20. n. 19. et alii. (13. Tertio, dividitur Feudum in Nobile et Ignobile. Feudum Nobile est illud, quod accipientis Personam nobilitat, vel si prius fuit, Nobilem ostendit, ut cum ab Imperatore, vel alio Supremo Principe conceditur; c. 1. *Quis dicatur Dux*. Feudum Ignobile est, quod a plebe, vel privatis personis dari solet, quæ ex defectu potestatis nullam nobilitatem conferre possunt Feudum ab ipsis accipientibus; cap. 1. de *his, qui Feudum dare possunt*, et arg. l. 2. *Feud.* Tit. 10 et 53. Calvin. l. c. Reiffenstuel l. c. num. 18. Vultejus l. c. num. 9. et alii.

(14. Quarto, dividitur Feudum in Ligium, et non Ligium. Feudum Ligium est illud, pro quo Vassallus ita strictam fidelitatem jurat uni Domino, ut ei militare et servire teneatur contra quemcumque alium; cap. 2. de *Feudo Ligio* lib. 2. tit. 99. de *Feudo Ligio*. Unde hoc nomen *Ligium* videtur derivatum a *ligando*, seu verbo *Ligo*, quod fœdus et societatem arctissimam significat; Calvin. l. c. verb. *Ligius homo*; Engel. l. c. n. 11. Reiffenstuel l. c. n. 20. (15. Hinc non potest quis a duobus Regibus Feuda Ligia accipere; arg. cit. lib. 2. tit. 99. de *Feudo Ligio*, Glossa in Clement. *Pastoralis*, verb. *Homo Ligius, de Re judicata*. Impossibile enim est promittere fidelitatem duobus contra quemcumque, cum hoc ipso quod uni jam promiserit fidelitatem contra quemcumque nullo excepto, necessario, altera fidelitate videatur exclusus; Clarus § *Feudum* quæst. 11. Engel. l. c. n. 11. Reiffenstuel l. c. n. 21. (16. Hujusmodi Feuda Ligia non nisi a Supremis Principibus Superiorem non agnoscentibus dari possunt, alias enim necessario Superior dantis in juramento fidelitatis excipi deberet, sicuti semper censetur exceptus in quovis Feudo Ligio Romanus Pontifex, eo quod contra ipsum nullum fidelitatis juramentum præstare possit; arg. c. *Venientes* 19. de *Jurejurando*, ibi: « Cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum (1). » (17. Feudum non Ligium est illud, pro quo Vassallus ita jurat, et de-

(1) Potest tamen alterum ligium, alterum non ligium una et eadem persona retinere. Casum posuit